



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Quanta sit obligatio in clericis horas Canonicas recitandi. Punct. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

diff. 1. de hor. can. quæst. 2. part. 5. num. 9. Sed quid dicendum, si antequam accepisses ordinem, beneficium, professionem, horas omnes illius diei recitasti? Respondeo probabiliter esse, te non satisfacere obligationi superuenienti. Quia non potest esse satisfactio obligationis, ubi nulla est obligatio. Debes ergo accepto ordine, beneficio, aut professione recitare horas illi temporis & sequenti correspondente. Bonacina *sup. p. 5. in fine.*

4 Quoad ordinem verò si officium sequentis diei incipias, antequam finias officium diei præsentis, v.g. Matutinum sequentis diei, antequam dicas Vesperas diei præsentis, peccas venialiter, si absque vlla rationabili causa facias. Non quia officium vnius diei habeat cum alio connexionem: sed quia intentio Ecclesie videtur esse, ut obligationi præsentis diei facias satis, antequam incipias sequentem explet. Et quia regulariter id fieri non potest, nisi vel vnum, aut aliud officium notabiliter anteponas, vel postponas tempore consueto, & ab Ecclesia præscripto. Suarez *lib. 4. de hor. can. c. 24. num. 3.* Si autem horarum ordinem eiusdem diei pervertas, & prius recites Primam, quam Matutinum, Vesperas, quam Primam absque vlla rationabili causa, peccatum veniale committis: quia est inuertio ordinis ab Ecclesia præscripti. Non tamen in hoc casu, & præcedenti est peccatum mortale; quia modus ille præceptus non videtur gravis materia, sic Suarez *lib. 4. c. 24. num. 4.* Bonacina *diff. 1. quæst. 3. p. 4. à numer. 1. c. segg.* At existente causa rationabili, ut quia inuitatis ab amico recitare Primam, cum Matutinum nondum recitasti, vel recitare Tertiam, non recitata Prima, vel recitando Tertiam recordatis, non te recitasse Primam, nullum peccatum nunc committis inuertendo supra dictum ordinem: sic Suarez & Bonacina *loco allegato*, & alij apud ipsos.

5 Maior tamen est difficultas, si in eadem hora ordinem inuertas, v.g. si prius recites in Matutino Lectiones, quam Psalmos, Laudes quam Matutinum, Preces & Capitula, quam Psalmos & sic de alijs; Tunc enim videris non recitare secundum formam præscriptam: quia hæc forma principaliter consistit in dispositione, quam partes habent inter se; est enim quælibet hora quoddam artefactum, cuius essentia præcipue in artificio consistit. Nihilominus communi sententia docet, secluso scandalo, & contemptu non esse peccatum mortale, sed veniale tantum. Quia partes cuiuslibet horæ seorsim sumptæ completam significationem habent, neque vna ab alia pendet. Ad componendam autem vnam horam, vniuntur potius per aggregationem, quam per continuationem, aut aliam vniorem strictiorem, cui aggregationi non obstat hæc inuertio, & mutatio. Ergo. Hinc si si aliqua rationabilis causa, hunc ordinem mutandi inuenerit, nullum te omittit peccatum, v.g. si chorum intrasti medio matutino, potes cum alijs proseguere, & postea recitare, omnia. Idem est si oblitus fuisti aliquam partem recitare, potes istam post supplere. Item si cum recitas Matutinum, desit tibi Breuiarium ad lectiones, & responsoria, potest omittis lectionibus postea recitandis, reliquum recitare, maxime si times aliquas occupationes futuras, que te ab ita commoda recitatione impediant. Sic Doctores præallegati.

6 An autem si peccatum mortale dicere Missam Matutinis precibus non recitatis: solet communiter dubitari. Negauit cum communiori sententia tract. de Euch. diff. vlt. de sacrificio Missæ, & vltra Doctores ibi allegatos docet in præf. Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 24. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 12. n. 81.* Valencina *tom. 3. diff. 6. quæst. 5. punct. 10. §. 4.* Valquez de Benefic. *cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 3. num. 85.* Bonacina *pluribus relictis diff. 1. quæst. 3. punct. 4. num. 11.* Ratio præcipua est. Quia nullum exat de hac te præceptum. Dices esse præceptum latum à Pio V. in principio Missalis ubi in virtute sanctæ obedientiæ præcipit Missam dicere iuxta ritum Missalis atque additione, vel diminutione, aliæ mutatione alicuius ceremoniæ ibi præscriptæ. Sed vna ex ceremoniis ibi præscriptis est dicere Missam Matutino cum Laudibus absoluto, ut constat ex præscriptione rituum; qui in Missa obseruandi sunt. Ergo est obligatio gravis sic dicendi. Respondeo Binn V. *missæ præceptum secundum.* Respondeo Pium V. tulisse præceptum seruandi ritum dicendi Missam, nec nouum inducendi; sub hoc tamen generali præcepto non comprehendit Matutini recitationem; quia recitatio Matutini non est ritus aliquis Missæ, sed ad Missam præsupponitur. Neque illa præsuppositio est sub præcepto. Alias vacare orationi aliquantulum sub præcepto esset, cum in illis rubricis caueatur. Aliqua tamen in rubricis præscribuntur non ut præcepta, sed ut consilia. Neque obstat inter defectus in Missa cõtingentes computati omissionem matutinarum precum *cap. 10. de defectibus in Ministro.* Quia solum est defectus leuis: vel dicendum est procedere ex sententia antiquorum Canonistarum. Neque item obstat dari aliquando privilegium ad dicendam Missam non recitatio Matutino: quia hoc dari potest, tum ad tollendos scrupulos, tum & præcipue ut peccatum veniale vitetur. Quod sine dubio sæpe contingit, quando absque rationabili causa Missa dicitur non præmissa Matutini recitatione, quia ita est consuetudo recepta, & quia Matutinum hora consueta, & ab Ecclesia præscripta non est dictum.

7 Locus autem pro priuata recitatione nullus est ab Ecclesia signatus, ac proinde in quocumque satisfacere præcepto po-

tes. Si tamen absque aliqua necessitate in locis immundis, & distractioni expositis recites peccabis ad minimum venialiter, quia irrauerenter procedis. Bonacina *diff. 1. quæst. 3. p. 5. num. 5. c. 6.* Sedere cum standum est, vel stare cum est fluctandum ex rubrica præscripto, non videtur esse peccatum si absque contemptu fiat: quia non videtur præcipi, sed consuli, & ordinari maioris deuotionis gratia, sic Bonacina *Punct. 6.*

PUNCTUM V.

Quanta sit obligatio præcipue in Clerici horas canonicas recitandi,

- 1 Esse grauem obligationem non omittemis notabilem partem, & quæ hæc sit.
- 2 Obligatum titulo ordinis, & beneficii & religionis, tria peccata committere, vel vnum cum tribus circumstantiis necessariis in confessione manifestandis affirmati Sanchez.
- 3 Probabiliter est vnum simplex peccatum committere.

EA est obligatio in clericis, beneficiatis, & religiosis recitandi singulis diebus horas canonicas, ut absque graui culpa nullus horum possit partem notabilem omittere. Quæ autem sit notabilis pars, non satis inter Doctores constat. Existimarem sane quamlibet horam partem, aut illi æquiualens esse partem notabilem, & non aliud. Sic Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 52.* Bonacina *diff. 1. q. 5. p. 1. num. 2.* Mouerit. Quia communior sententia est vnum esse præceptum de septem horis canonicis recitandis, ut statim dicam, sed posita vnitrate præcepti, leuis materia iudicanda est, quæ quantitatem horæ paræ non attingit, cum non attingat partem duodecimam partem præceptæ.

Quod autem vnicuique præcepto totum officium præcipiatur, & non ad multiplicatam horarum multiplicentur præcepta, videtur constare ex cap. Dolentes de celebratione Missarum, ubi officium nocturnum pariter & diurnum præcipitur; & ex Bulla Pij V. & ex institutione horarum, quæ vnicuique officium continet; quia & præcepta multiplicanda non sunt absque manifesta ratione. Ex quo fit omittentem vno die omnes septem horas, vnicuique peccatum committere, grauius tamen, quam si vnicam tantum omitteret; sicut grauius peccaret omittens Missam audire integram, quam si partem notabilem omittit. Sic Nauazus *cap. 7. de orat. num. 60.* Valquez de beneficiis *cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 5. num. 7.* Suarez de religione *lib. 4. cap. 25. num. 18.* Bonacina *diff. 1. quæst. 5. punct. 1. num. 8.* Garzia *3. p. de Benef. cap. 1. num. 132.* & alij plures apud ipsos.

2 Dubium graue est. An obligatus horas canonicas recitare, tum ratione ordinis, tum ratione beneficii, tum religiosi ordinis, quem profiteretur committat tria peccata, vel vnum cum tribus circumstantiis necessariis in confessione manifestandis: vel tantum simplex peccatum?

Sanchez *lib. 9. de Matrimonio diff. 15. num. 6. sub finem.* Bonacina *diff. 1. de horis canonicis quæst. 5. p. 1. num. 4.* alijs relictis docet esse plura peccata. Quia beneficiatus omittens horas peccat contra debitum sui officij & muneris, ratione cuius tenetur horas canonicas recitare. Sed quoties quis diuinitus sui muneris omittit, peccat contra iustitiam. Ergo beneficiatus clericus omittens horas, dupliciter peccat contra religionem saltem, & contra iustitiam.

3 Nihilominus probabiliter censetur vnicuique peccatum committere, beneficiatum, clericum, & religiosum omittentem horas canonicas. Quia ad horas recitandas solum tenetur ex vi præcepti Ecclesiastici, atque beneficiatus, clericus & religiosus. Ergo cum vnicuique præceptum sit, vnicuique peccatum committitur. Et confirmatur ordo clericalis, religio & beneficium non obligant ex se ad harum horarum recitationem, sed ad summum obligant clericos religiosos & beneficiatos, speciales orationes pro populo fundere. Ergo in omissione harum horarum non committunt iniustitiam. Neque obstat beneficium dari propter officium, id est sub onere & obligatione officij, quia non datur sub obligatione iniustitiæ, sed religionis; quæ obligatio non ex beneficio, sed ex præcepto ratione beneficii impositio ortum habuit, & ita alios referret docet Henricus *1. de penitentia cap. 5. n. 6.* Garzia de beneficiis *3. p. cap. 1. n. 14. c. 125.*

PUNCTUM VI.

Quæ causæ excusent ab horarum canonicarum recitatione?

- 1 Impotentia, quæ provenire potest tum ex obliuione, tum ex ignorantia, tum ex infirmitate, tum ex carentia Breuiarii, tum ex impedimento extrinseco, excuset.
- 2 Quæ ratione repentina occupatio excuset.
- 3 Dispensatione eximitur quis ab obligatione, & quis possit dispensare.